Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 877

Quelle:
Copyright:

inveniſſe videntur. N. 11. *Editor.* ſub finem Codex *fol.* 12. p. 2. legit *carnes varias* non *Farias.* N. 13. *Editor.* tota illa Sententia: *Ut nihil aliud eſſet* &c. usque ad alteram: *Nonnullae quippe ſunt virgines carne* &c. abeſt a Codice *fol.* 16. p. 2. Lectio ceterum emendata et collatione haud indigna.

II. *fol.* 91. *Incipit Epiſtola Hieronimi Presbiteri ad Pammachium Apologetica contra Jovinianum.* Initium: *Chriſtiani interdum pudoris eſt etiam apud amicos tacere* &c. Epiſtolam hanc inſtar *Praefationis* Codex noſter praemittit alteri longiori *Apologeticae*, quae deinceps ſequitur inſcripta: *Incipit Liber Apologeticus ad Pammachium*, et inſit: *Quod ad te hucusque non ſcripſi. cauſa fuit ſilentium tuum* &c. Inverſo ordine habentur Edit. *ſuprac.* T. I. p. 209. Codicis lectio rurſus proba. In II. *Epiſtolae* N. 1. habet: *Primam cauſe eſſe victoriam* &c. quod an recte improbet *Vallarſius*, expendant Eruditi.

III. *fol.* 105. p. 2. *Quindecim ſigna quindecim dierum ante diem iudicij inuenit hieronimus in annalibus hebreorum.* Eorum enumeratio. Fabula magno nomini ſubpoſita. Habentur haec Signa Iconiſmis etiam expreſſa in Opuſculo xylographico vernaculo *der Entkriſt* ſive *Antichriſtus*, cujus Editiones deſcribuntur in *Idée Gen. d'une Collection compl. d'Eſtampes* p. 384. Aliam eorum Delineationem ligno inciſam in *fol.* indicavi *Einleit. in die Bücherk.* P. I. p. 91.

IV. *fol.* 107. p. 2. *Incipit ſermo Aurelii auguſtini adverſus quinque hereſes id eſt. paganos. iudeos. manicheos. ſabellianos. et Arrianos.* Initium: *Debitor ſum. fateor. non neceſſitate cogente* &c. Subpoſitus *Auguſtino.* Saepius recurrit.

V. *fol.* 127. p. 2. *Incipit epiſtola Sancti Hylarii Pictauienſis Epiſcopi. Ad Epiſcopos Katholicę fidei.* Initium: *Conſtitutum mecum habebam fratres kariſſimi in tanto ſilentii tempore* &c. Jam indicata *Codd.* CCIII. et CCV. extat edit. *Maur. Pariſ.* 1693. *col.* 1149. f. titulo: *Liber de Synodis ſeu de Fide Orientalium.* Inſcriptio ad Epiſcopos directa abeſt a praeſenti Exemplo. Definitiones *Orientalium* ab *Hilarii* Expoſitionibus titulis miniatis diſtinguuntur. Finis: *in diem reuelationis reſeruet opto fratres.* Sed adſcripta illa Nota: *Homouſion grecum eſt* &c. quam *Mauriani* merito repudiarunt. Lectio ceterum ſat proba.

VI. *fol.* 161. p. 2. *Incipit ſermo arrianorum. Ubi numeri propterea ſunt locis ſingulis annotati* &c. ut Opp. *Auguſtini* edit. *Maur.* T. VIII. *col.* 621. Reſponſio enim Sermoni vel Confeſſioni huic ſubjecta *Auguſtini* eſt, quod *Codex* tacet. Arrianorum Articuli, qui incipiunt: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus Deus unigenitus* &c. in impreſſis XXXIV. ſed in *Cod.* aliter diviſi XXXVII. numerantur. *Auguſtini* Refutatio incipit: *Eorum precedenti Diſputationi hac*

Diſpu-